

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

Quam vana fuerit omnis Gallorum protestatio in Concilio Tridentino, eventus docuit. Tantum enim abfuit, ut Roma corrigeret errores, & abusus tolleret, ut potius novis decretis eos fulciret ac confirmaret. Crediderim per hypotheses Ecclesiae Gallicanae nihil obstare, quo minus acta Concilii Tridentini penitus rescindantur. Quid enim impedit ejusmodi Concilium abrogari, de cujus universalitate tanta lis est, quod libertati Ecclesiae Gallicanae tantopere repugnat, quod perpetuam litis materiam inter Pontificem ac Galliae regnum serit? quae religio vetat abolere acta Concilii, in quo plus datum est affectibus quam veritati, fatentibus Gallis? imo in quo curiae Romanae utilitas privata & invidiosa ambitio plus valet, quam Scripturae & antiquitatis sanae assertio. Regis autem Galliae nonne in eo versatur auctoritas, ut ejusmodi aboleantur decreta in jurisdictionem regiam ejusdemque Majestatem injuria? In quo magis laborandum Regi, quam ut removeantur obstacula regimini Monarchico tantopere adversa? Certe nimium quantum interest deleri constitutiones curiae Romanae, quae potestati civili, constitutionibus regni, libertati Ecclesiae Gallicanae vim intentant. Utrique tam Romanae quam Gallicanae Ecclesiae consultum fore existimarem, si Concilium Tridentinum vel aboleretur, vel saltem aliud universale indiceretur. Hoc enim pacto facile sopirentur controversiae diu jam tum agitatae, quae ociosius aut citius in Schisma apertum haud dubie erumpent. Spes etiam esset, fore, ut sublatis erroribus, reformatisque abusibus, universae Ecclesiae Christianae unitas postliminio refarciretur. Quid magis optare Roma, quid citius Gallia admittere deberet? Atque utinam tum magis Galli pro libertate Evangelii quam Ecclesiae suae dimicarent, utinam fortius ac olim instarent, quo calix Laicis restitueretur, invocatio sanctorum aboleretur, aliaque plurima dogmata mutarentur! Quantam non di-

dicam a Protestantibus sed universa Ecclesia Christiana gratiam
 inirent. Sed voti ea res est, non spei. Nuper adeo cum Episcopum
 Thinnens. fama vulgaret Protestantibus pollicitum esse novum
 Concilium universale, in quo acta Concilii Tridentini examina-
 da & pro re nata mutanda forent, memini quosdam Theologos
 in Gallia id ægre tulisse, ac ejusmodi promissum scandalo-
 sum vocasse; ipse acerbas quorundam voces eorum audiui; sed
 qua de causa, equidem non video. Sane ut nunc sunt hypo-
 theses Ecclesiæ Gallicanæ, laborandum potius esset cum Pro-
 testantibus, ut acta Concilii Tridentini rescinderentur, quam
 ut solcite foverentur. His enim servatis ac pro norma
 fidei venditatis nulla unquam vel cum Protestantibus pax, vel
 inter Romanam ac Gallicam Ecclesiam concordia speranda est.
 Neque verendum est, ne hypothesis Cleri Gallicani de *aucto-
 ritate divina conciliorum generalium* quicquam patiatur? Non-
 ne enim in promptu est dicere; Concilium Tridentinum non
 esse generale seu œcumenicum, anathemate ejus nunquam
 territos esse Gallos, nunquam etiam in Gallia fuisse pu-
 blicatum, non esse majoris auctoritatis in Gallia quam Concili-
 um Lugdunense, quod nec receptum ajunt nec obligatorium
 esse. Hæc ego putarim non abs re a Gallis obverti posse, ut
 salva maneat illa hypothesis de *infallibilitate & divina aucto-
 ritate Conciliorum œcumenicorum*; quanquam illa hypothesis
 jam diu in Gallia labefactata est per alias opiniones: irrita esse
 Concilia etiam universalia, siquidem libertati Ecclesiæ Gal-
 licanæ repugnent. Ita nos supra docuit P. de Marca de *concord.
 Sacerdot. & Imp. lib. 3. cap. 7. Libertates*, inquit, *perinde tue-
 mur, si de Concilii generalis novis decretis, ac si de Rom. Pon-
 tificiis constitutionibus agatur: Quin etiam receptos mores &
 consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ nostro usui commodas, adeo re-
 tinemus, ut, etsi canone Concilii generalis destituamur, quo illæ
 firmatae sint, tamen ab iis nobis discedendum esse non censeamus.*